

Præfatio ad Lectorem.

Mirum sanè Duellum, ac singulare prorsus certamen fuit illud, quod olim commissum est inter Davidem & Goliath. 1. Reg. 17. Impares omninò erant personæ in arenam descendentes; imparia quoque fuerunt eorum arma, quibus inter se confligebant. David puer erat & pastor ovium, veniens *in fundâ & lapide*: Goliath verò fuit vir bellator ab adolescentiâ suâ; munitus *gladio & hastâ & clypeo*. Quis non putâisset, quod hoc in prælio Goliath sit certò prævaliturus contra Davidem? contrarium tamen probavit eventus.


Lector amice! Præsenti in Theatro etiam singulari quodam certamine inter se confligunt VITA & MORS, suntque formâ & armis planè impares. Vita sensibus adhuc integra, pelle & carnibus adhuc vestita Morti procedit obviam: Mors verò pallida & macilentâ vix ossibus hæret. Hæc falce tantum aut arcu sagittis instructo est armata: illa verò omnis generis instrumenta ad manum habet. Mox stringit gladium, mox hastam vibrat;

mox fuste & baculo utitur, mox furcam aut tribulam arripit &c. Nihil interim his omnibus contra Mortem proficit, sed hæc semper palmam reportat, victrixque recedit. *Resistitur ignibus*, ait S. August. in Psal. 121. *resistitur undis, ferro, Regibus, Potestatibus; venit una Mors, quis ei resistit? Nihil est illa fortius* &c. Zorobabel (ut refert Cornelius in cap. 4. Eldrae & Nehemiae v. 24.) quondam à Rege Dario interrogatus: *Quid esset omnium fortissimum?* respondit: *Veritas*. Ego taliter interrogatus responderem: *Mors*. Non tantum fortis, sed & crudelis ac implacabilis est Mors: & quod maximè lugendum est, quilibet Terrigena, etiam pacatissimus, ab eadem provocatur ad Duellum, cui se subducere nemini conceditur. Etiam si eam adhuc longè agente legationem mittas, ac roges ea, *quæ pacis sunt*, hanc tamen, ne iniquis quidem conditionibus, ab eadem extorquebis. Quamvis in abditissimis terræ meatibus & anfractibus abscondas, à facie arcus ejusdem non effugies. Licet habitaveris in extremis terræ aut maris, nec ibidem asylum invenies.

Cum ergò hæc ita sint, non rarò occurrit occasio, quod (etiam quandoque ex abrupto) defunctis parentandum sit, vel oretenus, vel

per scedulas mortuarias: quare, ut hoc eò faciliùs succedat, ad Variorum instantiam ea, quæ in Aliorum voluminibus hinc & inde dispersa inveni, hîc in unum fasciculum colligavi, ac pro majori gustu per scenas theatrales distribui. Poterunt saltem Indocti (pro Doctis enim non scripsi, quia ab his potius erudiri, quàm Eo. erudire cupio) & in libris non ad eò multùm versati aliquid emolumenti exinde percipere. Certè Plinii majoris, ut testatur ejus Nepos Li. 3. Epist. 5. paræmia erat, *Nullum esse librum tam malum, ut non aliquâ parte prodesset.* Invenies etiam frequenter materiam, ex historiis præsertim ac aliorum sententiis, quæ te ad salutarem mortis imminentis memoriam extimulare possent.

Duo sunt Theatra (ut scribit S. Chrysostramus Hom. 17. in Epist. ad Rom. teste Cornelio 1. ad Cor. 4. v. 9.) *alterum amplissimum, ubi Rex Regum, hoc est Deus nobilissimus Angelis stipatus ad spectandum seder; alterum angustissimum, ubi Æthiopes pauci, rerum, ignari stant, id est homines.* His non ineptè annumerari potest tertium, scilicet inferni, in quo primariam personam agunt dæmones, Æthiopes reverà nigerrimi. Inter primum & tertium medius existit viator, quem maximè juvat



juvat *Memoria mortis*, ut non descendat ad tertium, sed ascendat ad primum. Ne autem hæc materia, quam aliqui vel à longè audire abhorrent, legenti fastidium pariat, lepida quædam & faceta subinde admiscui; nam, ut canit Horatius de Arte.

*Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.*

Hæc eadem de causâ hîc immediatè subnectam *Ænigmata* quædam vel ad Mortem & Vitam, vel saltem ad temporis instabilitatem alludentia. Tu interim vale & frue.

*Vive precor, sed vive Deo, nam vivere mundo
Mortis opus, una est vivere vita Deo.*
S. Augustin. Epist. ad Paulinam.